

ut passim traunt Theologi. Deinde superveniente dubio de re possessa etiam sub bona fide, tenetur possessor investigare legitimum possessionis titulum; quod si nullus occurrat, quo constet rem esse alienam, jure ac licite eam possidere potest, quia suffragatur possessori legitima præscriptio, quam non tollit dubium superveniens, nec possessorem cogit ad possessionem deponendam, sed obligat tamen ad investigandum justum ac legitimum possessionis titulum.

(164. At vero pariter longe distant, quæ Auctor habet de Consiliariis, pag. 631, num. 98, quos dicit posse aliquem consulere juxta opinionem aliquorum probabilem; quam tamen in praxi ipsi non sequantur, ac falsam judicent. Debent enim Consilarii non fallere, sed quæ vera sibi videntur exponere; at si persuaderent aliis opinionem sequendam minus probabilem et tutam, dum ipsi alia ducuntur probabiliori ac tutiori, profecto et contra propriæ conscientie dictamen consulere, et contra propriam mentem irent, ac incertam indigarent viam, dum ipsi certiores, tutioresque agnoscerent. Num id liceat, prudens judicet lector. Mirum vero non est hæc ab Auctore tradi, qui ubique fere ex semel præjacto principio, Probabilismo nimirum, suas opiniones probat et confirmat.

(165. Ad ea vero, quæ habet pagina 388, 389, non est quod modo quidquam dicamus; videantur quæ ad hanc rem pertinentia diximus in verbo *Confessarius*.

(166. Quoniam autem de Conscientia hic brevissime agere instituimus, reliquum nunc est, ut modum, illumque omni ex parte tutum præscribamus, quo possit unusquisque suam formare conscientiam, ubi præsertim dubia praxim respicientia suboriantur. Nil vero utilius ad hunc effectum censemus regulis, quas ex Leonardo Vanroy exscriptas hic subjicimus.

REGULÆ.

Prima. « Si sit dumtaxat probabile, quod actio aliqua licita sit qui eam ponit, periculo se exponit illicite agendi. »

Secunda. « Si aliquid præter probabilitatem concurrat, quo plane certus evado, quod actio hic et nunc mihi liceat, agendo non sequor sententiam practice probabilem, sed practice certam. »

CONSECRARE, CONSECRATIO.

SUMMARIUM.

1. Consecratio Episcopalis suscipienda intra trimestre. — 2. Episcopos consecrandi jus S. Pontifici devolutum. — 3. De Episcopalis consecrationis delegatione. — 4. Consecratio nequit fieri sine speciali mandato Pontificis. — 5. Consecrationis Ecclesiarum munus soli Episcopo reservatum. — 6. Episcopus consecrans Ecclesiam potest missam Sacerdoti celebrandam committere. — 7. Consecratio Ecclesiarum

(1. Consecratio Episcopalis suscipienda est intra trimestre a die confirmatæ electionis; Concil. Trid. sess. 23, cap. 2, de reform. Bened. XIV, Constit. incip. *In postremo*, § 2.

Tertia. « Certus fieri nequeo de formali actionis honestate, sive quod mihi liceat agere ex ipsa probabilitate, sive ex eo quod sit probabile actionem esse licitam, neque ejusmodi certitudinem afferre possunt hæc principia. » Quidquid est practice probabile, est practice tutum. Qui sententiam vere probabilem, vel probabiliorem sequitur, prudenter agit, etc. « Quia admodum incerta, et vix, aut ne vix quidem probabilia sunt. »

Quarta. « Quando est dumtaxat probabile, quod actio licita sit, per principium reflexum certi evadimus quod agere non liceat, nempe per regulam juris naturæ vetantem, ne quis sese periculo peccandi, et legem æternam violandi exponat. »

Quinta. « Quando actionis legi æternæ repugnantis malitia, vel per tenuissimam probabilitatem rimam considerationi adfulget, agens invincibilem malitiæ ignorantiam prætexere non potest. »

Sexta. « Quando probabile est actionem secundum se rectæ rationi et legi æternæ esse difformem, eam ponere non licet, nisi omissio istius actionis etiam verosimiliter rectæ rationi repugnet. »

Septima. « In tali angustia, nempe, quando et actio, et actionis omissio verosimiliter legi æternæ adversantur, pensandum est a qua parte plus sit periculi: omnibusque rite ponderatis illud eligendum est, quod minus malum prudenter judicatur. »

Octava. « Quancumque probabilitas in materia juris naturæ periculum peccati absolvere nequit, quia licet maxime foret probabile v. gr. quod mentiri ad innocentem a morte liberandum, juri non repugnet, lex æterna mendacium etiam tunc vetet; regula ista legis æternæ non debetur ob nostram probabilitatem. Unde qui in tali casu mentiretur, exponeret se periculo ponendi actionem regulæ legis æternæ difformem, adeoque a peccato eximi nullo pacto posset. »

Nona. « Verum in materia legis positivæ ex magna valde probabilitate certitudinem moralem accedente, aliisque circumstantiis epikeia aliquando formari potest, sic ut prudenter judicemus, non esse mentem legislatoris in simili casu nos obligare. »

(167. Alia vide infra verb. *Opinio probabilis*.

potest vel ab uno vel a pluribus Episcopis peragi. — 8. Jure consecratio Ecclesiæ peragitur, quam merito ambigitur nunquam fuisse consecratam. — 9. Ecclesia a primo lapide reedificata, vel parietibus tantum renovata debet consecrari. — 10. An liceat officium recitare Consecrationis jam deperditæ. — 11. Ecclesia a fundamentis reedificata iterum consecranda. — 12. Consecratio Altaris a consecratione Ecclesiæ distinguitur. — 13. Alia ad rem *Remissive*.

Consecratio Episcopalis die Dominico, vel natalitio Apostolorum est sumenda, nisi Papa dispensaverit; Idem ibid., § 20.

(2. Consecratio Episcoporum juxta veta-

stiores disciplinam a Metropolitano peragebatur, eoque tantummodo injuste eam denegante, Romanus Pontifex Consecrationis munus impendebat; Idem ibid., § 15. Ad præsens jus consecrandi Episcopos per se, vel per alium, ad Romanum Pontificem est devolutum; Idem ibid., § 15, 16 et 17.

(3. Consecrationis Episcopalis delegatio nunc juxta veterem restitutam formulam, juxta mandatum *de consecrando* ad eum dirigitur Episcopus, quem sibi consecrandus elegit. Circa vero Episcoporum consecrationes, quæ in Urbe peraguntur, statutum est, Consecrandum, cui facultas sit eligendi Consecratorem, seligere debere, aut unum ex Cardinalibus Episcopali characterе insignitum, aut aliquem ex quatuor Patriarchis plerumque in Urbe residentibus, scilicet vel Constantinopolitanum, vel Alexandrinum, vel Antiochenum, aut Hierosolymitanum; eo tantum excepto casu, quo nemo ex præfatis, quod perdifficile est, oblatum sibi consecrationis peragendæ munus acceptum haberet; in hac quippe casu hypothesi, facta est Episcopo consecrando facultas adeundi alium quemcumque Archiepiscopum, Episcopumve, qui ei consecrationem impenderet; Idem ibid., § 16, ubi in fine sic subjungit: Neque in his edendis sanctionibus excidit Nobis Metropolitanarum memoria, cum constituerimus, ne, si in Urbe præsentibus sint Metropolita, ejusque Suffraganeus, consecratio Suffraganei cuiquam, præterquam suo Metropolita, delegetur.

(4. Presbyter, sive a Pontifice Maximo, sive a quocumque alio Episcopo ordinatus, consecrari nequit Episcopo sine speciali mandato Romani Pontificis; Idem ibid., § 17. Consecratio Episcoporum ex Indulto Apostolico peragi potest ab uno Episcopo, una cum duobus Abbatibus, vel aliis duobus in Ecclesiastica Dignitate constitutis, Bened. IV. Const. incip. *Ex tuis precibus* § 21.

(5. Consecrationis Ecclesiarum munus est Episcopali dignitati reservatum; Bened. XIV. cit. Const. *Ex tuis precibus*. Diocæsano Episcopo ita competit consecratio Ecclesiarum suæ Diocæsitis, ut extraneo cuiquam Episcopo absque Diocæsani delegatione licere non possit; Idem ibid., § 2. Simpliciter Presbytero nequidem ex delegatione Episcopi competere potest facultas consecrandi Ecclesias; Idem ibid., § 2. et sequent. Ex Pontificia tamen delegatione hujusmodi consecrationis munus simpliciter presbytero competere potest; Idem ibid., § 1. et 12. Vide ad id jam tradita in tom. 3. verb. *Ecclesia* art. 4.

(6. Consecrans Ecclesiam Episcopus potest ex justa causa Missam Sacerdoti celebrandam

CONSERVATORES.

SUMMARIUM.

ARTICULUS I. — Quoad ea quæ concernunt Conservatorum qualitatem, electionem et durationem.

1. Conservatores qui sint. — 2. Conservatores sibi eligere possunt Regulares omnes, nedum qui ad hoc expressa et peculiariter privilegia a Sede Apostolica obtinuerint, sed et cæteri virtute communicationis privilegiorum. — 3. Conservatorum Regularibus

committere; Bened. XIV. Const. incip. *Peracto a Nobis* § 1. Consecrationem Ecclesiæ ab uno Episcopo inceptam potest alter perficere, modo nimis longum temporis spatium non intercurrat; Idem ibid., § 16. ubi solvit objectum.

(7. Consecratio Ecclesiæ, vel ab uno Episcopo, vel a pluribus simul, tanquam Ministris peragi potest; Idem ibid., § 4. et seq. ubi id comprobat Scriptorum auctoritate, et exemplis. Ipsum quoque munus benedicendi, ungentisque Cruces, Episcopi consecrantes inter se partiri possunt; idem ibid., § 10. et sequent. usque ad 16. ubi probat pluribus exemplis, et argumentis, ac solvit Rescriptum Sac. Congreg. Rit. in Causa Ulysiponensi.

(8. Consecratio jure peragitur ejus Ecclesiæ, quam merito ambigimus nunquam fuisse consecratam; Bened. XIV. Const. incip. Jam inde § 1. 4. et 5. ubi adducit perspicuam ad id definitionem Benedicti XIII. in Concilio Romano tit. 25. c. 3.

(9. Ecclesia a primo lapide reedificata, vel etiam parietibus tantum renovata, debet nova consecratione dicari; Idem ibid., § 10. Si Ecclesiæ parietes non uno tempore, sed per partes, diversisque temporibus, fuerint reedificati, vel si Ecclesia igne comburatur, vel corruat, aut destruat, an, et in quibus ex his casibus, sit reconsecranda Ecclesia? Vide ipsum ibid. a § 7. ad 14. et jam tradita, et conclusa a nobis, verb. *Ecclesia* art. 4.

(10. Consecrationis jam deperditæ Officium an adhuc liceat recitare? variant Doctores adducti; Bened. XIV. ibid., § 22 merito propendet pro affirmativa continuationis, fultus potissimum exemplo duarum Basilicarum Lateranensis et Vaticanæ, in quibus ad veterum Consecrationum recordationem diu fuit retenta Officii recitatio, etsi novis positis constructionibus, veteres amplius non superextarent Consecrationes, uti plane, ait ipse, Bononiæ hactenus factitatum.

(11. Si parietes Ecclesiæ sint destructæ, et a fundamentis iterum reedificentur, Ecclesia jam consecrata iterum consecranda est, ut ex titul. de Consecrat. Eccl. vel alt. firmant Canonistæ; d. Instit. Eccl. 67. § 2. Officium vero recitari debet de priori Consecratione, non de secunda; ibid., § 6.

(12. Consecratio Altaris plane distincta est a consecratione Ecclesiæ, ut ex Pontificali Romano adnotatur ibid., § 8.

(13. Alia ad rem, Vide verb. *Altare*, verb. *Ecclesia*, verb. *Episcopus*, et verb. *Eucharistia*.

concessæ non sunt sublata per Decr. Concil. Trident. etiam quod causæ graves sint, et plenariam cognitionem requirant. — 4. Conservatores debent eligi ad præscriptum capit. *Statutum* 21, de rescriptis, cap. *Statuimus* 1, et cap. *Hæc Constitutio* 25, de offic. *Delegati* in 6, et præcipue ad præscriptum Constit. Gregorii XV, incip. *Santissimus*. — 5. Affertur talis Constitutio Gregorii XV. — 6. Eligendi in Conservatores debent esse in dignitate Ecclesiastica consti-

tati. — 7. Unde Conservatores non possunt esse, nisi Episcopi, Archiepiscopi, Patriarchæ, et Cardinales, vel Abbates, seu Dignitates, vel Personatus in Cathedralibus, vel Collegiatis Ecclesiis obtinentes. — 8. Aut Canonici Ecclesiarum Cathedralium existentes. — 9. Canonici autem Ecclesiæ Collegiatae, quamvis sint eximii Doctores, nequeunt esse Conservatores. — 10. Vicarius Generalis Episcopi potest eligi in Conservatorem Regularium. — 11. Sic etiam Vicarius Capitularis Sede vacante. — 12. Regulares quavis dignitate Regulari fulgentes non posse eligi in Conservatores, respondit Sac. Congr. Episcop. et Regul. — 13. At Sac. Congr. Concilii censuit Abbatem Ordinis Olivetani posse eligi in Conservatorem, si Episcopus in Synodo eum deputavit Judicem Synodalem. — 14. Conservatores debent esse Judices Synodales. — 15. Dato autem, quod non adsint Judices Synodales, possunt a Regularibus eligi non Judices, donec sit celebrata Synodus, et in ea Judices sint designati. — 16. Affertur ad hoc Pontificis declaratio. — 17. Conservatores debent eligi a Regularibus in unaquaque Diocesi, in qua Monasteria, Conventus, seu Domus Regulares habent. — 18. Regulares, licet ex d. Constitutione Gregorii XV, fuerint adstricti ad sibi eligendos Conservatores infra duos menses in Italia, et extra Italiam infra sex menses a die publicationis in Urbe ipsius Constitutionis; tamen ii Regulares, qui tempore sibi in d. Constitutione præfixo, Conservatores eligere non curaverunt, dicto elapso tempore, quocumque eis libuerit, Conservatores juxta formam d. Constitutionis eligere possunt, ad num. 19. — 20. Electionis Conservatoris documentum est relinquendum penes acta Curia: Episcopalis, alias Regulares sunt conveniendi coram Ordinario loci. — 21. Conservatores sunt eligendi ad præscriptum d. Constit. Gregorii XV, non obstantibus quibusvis privilegiis. — 22. Regulares eligentes Conservatores non servata forma Gregorii XV, incurrunt ipso jure privationem vocis activæ et passivæ; nec possunt rehabilitari, nisi a Romano Pontifice, et eorum Conventus et personæ carent Conservatore ad annum, et interim illorum causæ definiiri debent solum ab Ordinariis locorum. — 23. Conservatores Regularium possunt eligi vel a Superioribus Generalibus, vel Provincialibus, vel Localibus, juxta Religionum consuetudinem. — 24. In iis tamen Religionibus, in quibus juxta suam consuetudinem, Constitutiones, vel privilegia solent Conservatores eligi per Superiores locales, debet intervenire etiam consensus Capituli. — 25. In Ordine Minorum de Observantia facultas eligendi Conservatores videtur restricta ad Provinciales, private quoad Guardianos, seu Superiores locales. — 26. Et ubi adest similis Constitutio, et probata consuetudo, quod eligantur per solos Provinciales, valida est electio etiam sine consensu Capituli. — 27. Conservatores Regularium semel legitime electi ac deputati, nisi ex legitima causa a Sede Apostolica, aut locorum Ordinariis, prout eisdem Regularibus et aliis prædictis libuerit, approbata, durante quinquennio a die deputationis, amoveri aut mutari nullatenus possunt. — 28. Causæ autem possunt esse inimicitia suborta, impotentia, negligentia, et omnes ille, ob quas recensari potest Judex. — 29. Regulares quinquennio elapso possunt alium Conservatorem libere eligere; et si ad aliam electionem procedere minime curent, aut nolint; electus etiam elapso quinquennio, adhuc in officio perseverat usque quo alius eligatur; nec est necesse ipsum confirmare, vel reeligere. — 30. Conservatoris rite electi officium et jurisdictio non expirat, ex eo quod postea desinat esse Judex Synodalis. — 31—34. An eligi in Conservatores possint Episcopi et Archiepiscopi, etc., si existant in Diocesi Judices Synodales. — 35. Conservator datur etiam sine negligentia judicis laici, etiam personis miserabilibus. — 36. A cætu Cardinalium non potest dari conservator, Papa vivente,

nisi ille omnino impeditus sit. — 37. Neque a Legato etiam de Latere. — 38. Etiam principes sæculares possunt Ecclesiis vel Clericis conservatores dare, et ita contra Laicos tueri, non tamen contra clericos vel Ecclesias. — 39. Regulares in una diocesi non possunt eligere in Conservatorem alterius diocesis Episcopum.

ARTICULUS II. — *Quoad ea quæ concernunt Conservatorum officium, et jurisdictionem.*

1. Conservatorum officium est defendere eos, quibus sunt concessi, a manifestis injuriis, molestiis, et violentiis, et in propriarum rerum, et jurium possessionem conservare. — 2. Hinc Conservatores defendere possunt, et debent Regulares, nedum in causis in quibus ipsi Regulares rei existunt, sed etiam in causis in quibus Regulares Actores extiterint, si isti agendo petant, ut defendantur a manifestis injuriis, quæ de facto illis inferuntur, dum a suis possessionibus deiciuntur, et propriis bonis frui impediuntur. — 3. Conservatores Regularium non nisi de manifestis injuriis atque violentiis cognoscere possunt. — 4. Injuria quid sit. — 5. Violentia quid sit. — 6. Injuria et violentia, quando dicatur manifesta. — 7. Conservatores Regularium non possunt cognoscere de iis, quæ Judicalem requirunt indaginem. — 8. Indago Judicialis quid sit. — 9. Conservatores, si de aliis, quam de manifestis injuriis, et violentiis cognoscere præsumperint, seu ad alia, quæ Judicalem indaginem exigunt, suam extenderint potestatem, eo ipso pœnam Suspensionis ab officio per annum incurrunt, et pars, quæ hoc fieri procuravit, incurrit sententiam excommunicationis. — 10. Possunt tamen Regularium Conservatores in cognitione violentiarum et injuriarum manifestarum adhibere indaginem illam judicalem, quæ in notoriis adhiberi solet. — 11. Quando reus fatetur injuriam, seu violentiam, et qualitatem ipsius fuisse notoriam, tunc Conservator potest statim procedere absque ulla examinatione de notorietate. — 12. Conservatores Regulares suæ curæ commissos defendere possunt, nedum ab injuriis et violentiis illatis, sed etiam a probabiliter inferendis. — 13. Conservatores Regularium possunt ipsos defendere a violentiis, seu injuriis inferendis, non solum aliis modis, sed etiam proferendo generalem excommunicationis sententiam in eos, qui illas fecerint, vel commiserint. — 14. Nec obstat prohibitio expressa in cap. Romana 5, de sentent. excomm. in 6. — 15. Conservatores Regularium possunt per Censuras Ecclesiasticas, aliaque juris remedia procedere contra Episcopos, aliosque Judices ipsorum officium impediunt. — 16. Licet autem Conservatores Regularium facultatem habeant procedendi per Censuras Ecclesiasticas etiam contra Episcopos; tamen quia in his coactionibus et pœnis Pontificali dignitati plurimum defendendum est, æquum est, ut Conservatores non de facili, et præcipitanter contra Episcopos sententiam excommunicationis proferant; sed debent modestiam et reverentiam adhibere, et servare Ordinem præscriptum in c. Quia Pontificali de offic. delegati in 6. — 17. Adducitur specialis resolutio Sac. Cong. Conc. — 18. In dubiis de jurisdictione inter Episcopos, et Conservatores suspendendus est processus, et non potest ultra procedi in causa, sed eligendi Arbitri qui controversiam decidant. — 19. Quando controversia est super competentia Jurisdictionis, et sub hoc prætextu Episcopus Conservatorem impedit, non potest Conservator procedere contra Episcopum per Censuras. — 20. In necessitate, quando partes non conveniunt in Arbitrorum electione, vel alias nequit per Arbitros concorditer controversia terminari, eligendus est tertius Arbitr. — 21. Sic etiam, si Conservator Regularium recusetur, ut suspectus, tunc ipse Conservator recensatus poterit partes compellere ad eligendos Arbitros. — 22. Conservatores Regularium non tenentur uti Notario Curia: Episco-

palis, sed possunt assumere quemcumque Notarium sibi bene visum. — 23. Conservatores Regularium possunt vices suas aliis committere, et in totum alium subdelegare, et substituere, usque ad n. 24. — 25. Subconservatores, seu Subdelegati, et substituti a Conservatoribus debent habere omnes qualitates ad Conservatores requisitas. — 26. Conservatores, qui aliis vices suas subdelegarunt, possunt ab ipsis subdelegatis causam ad se avocare, dummodo tamen jurisdictio revocetur a subdelegatis, antequam ipsi subdelegati jurisdictione eadem uti cœperint. — 27. Officium subdelegati, seu Subconservatoris expirat per mortem naturalem Conservatoris. — 28. Et hæc ratio locum habet etiam in morte civili, vel quia ipsius officium terminet per lapsum temporis præfixi, vel quia Conservator privatus sit tali officio. — 29. Per Excommunicationem autem, vel suspensionem Conservatoris, vel etiam ipsius Delegati, vel Subconservatoris non expirat in Subdelegato, seu Subconservatore Jurisdictio, sed solum suspenditur, donec Conservator, vel ipse Subconservator absolvatur. — 30. Notorius debitor Regularium coram eorundem Conservatore conveniri potest, usque ad n. 31. — 32. Tunc autem esset debitum notorium, si debitor fateretur debitum, et negaret se solvere velle, vel si debitum per instrumentum ac testes omni exceptione majores constaret, etiamsi a debitore negaretur. —

ARTICULUS I.

Quoad ea, quæ concernunt conservatorum qualitatem, electionem, et durationem.

(1. Conservatores communiter definiri solent, quod sint partiales Judices a Summo Pontifice delegati ad aliquos defendendos contra manifestas injurias, et molestias, et violentias absque indagine judiciali, ut de dicitur clare ex cap. Statuimus 1. de Offic. Judic. delegati in 6, ubi sic præcise habetur: « Statuimus, ut Conservatores, quos plerumque concedimus, a manifestis injuriis, et violentiis defendere possint, quos eis committimus defendendos; nec ad alia, quæ judicalem indaginem exigant, suam possint extendere potestatem: » Et consimiliter colligitur ex cap. Hac Constitutione 15. eod. in 6.

(2. Conservatores sibi eligere possunt Regulares omnes, nedum qui ad hoc expressa, et peculiariter privilegia a Sede Apostolica obtinuerunt, sed et cæteri alii virtute communicationis privilegiorum cum ipsis, ut expresse declaravit S. Congregatio Concilii 12. Septemb. 1620. (3. Conservatoria Regularibus concessa non sunt sublata per Decretum Concilii Tridentini sess. 24. de reform. cap. 23. etiam quod causæ graves sint, et plenariam cognitionem requirant; Sacra Congreg. Conc. in Mediolanen. teste Rota part. 2. recent. dec. 616. in Oscan. Jurisdictionis 12. Decembris 1614. et sic etiam fuisse decisum sub die 18. Januar. 1594. refert Aldan. in Compendio canon. resolut. lib. 4. tit. 8. n. 10. (4. Conservatores debent eligi ad præscriptum cap. Statutum 11. de rescriptis; cap. statuimus 1. et cap. Hac Constit. 15. de offic. delegati in 6. et præcipue ad præscriptum Constit. Greg. XV. incip. Sanctissimus, quæ cum sit specialis norma, et regula pro Conservatoribus, hic subnectitur ad promotiorem omnium commoditatem.

35. Quando Regulares sunt debitores Laicis, vel Clericis sæcularibus, non possunt conveniri coram Ordinario, sed conveniendi sunt coram suo Superiore, usque ad n. 34. — 35. Et sic Regulares pro contractibus, vel debitis, si intra Monasteria maneant, conveniendi sunt coram suis Superioribus, vel Conservatoribus, non autem coram Ordinariis. — 36. Conservatores Regularium cognoscere possunt de injuriis factis servis, familiaribus, Syndicis, et Procuratoribus ipsorum in quantum talibus reduplicative. — 37. Hujusmodi privilegia respectu injuriarum, quæ fiunt servis familiaribus, Syndicis, et Procuratoribus in quantum talibus reduplicative, non sunt abrogata. — 38. Regulares quicumque in casu, quo Episcopus præcipiat decreta aliqua Concilii Tridentini ab ipsis observari, non possunt eligere Conservatores sub prætextu, quod hujusmodi præcepta infringant sua privilegia. — 39. Nec Regulares possunt Conservatores Judices assignare, quando Ordinarius procedit, juris ordine servato, adversus ipsos Regulares in casibus in quibus per Concilium vel Constitutiones Apostolicas ipsi subjiuntur. — 40. Conservatores, quando sunt Presbyteri Sæculares, tam in Civilibus, quam in Criminalibus, seu mixtis, subjiuntur loci Ordinario. — 41. Alia de Conservatoribus. *Remissive.*

§ 1. SSmus in Christo Pater et D. N. D. Gregorius divina providentia Papa XV. ex certis rationabilibus causis animum suum moventibus, et de voto Ven. Fratrum suorum S. R. Eccles. Cardinalium Concilii Tridentini. Interpretum, partim fel. recordat. Clement. Papæ VIII. Prædecessoris sui vestigiis inhærendo renovavit, ac nullas et invalidas decrevit omnes, et quascumque Judicum Conservatorum erectiones, nominationes, seu deputationes tam in viam literarum Conservatoriarum juxta formam in quinterno Cancellariæ descriptam, quam in vim quorumcumque privilegiorum perpetuo, vel ad tempus non elapsum Apostolica auctoritate concessorum, seu alias quocumque jure, vel titulo hæcenus factas, quo quibuscumque Conventibus, Capitulis, Militiis etiam S. Joannis Hierosolymitani, Congregationibus, Collegiis, Ordinibus, Monasteriis, Hospitalibus, aut aliis quibusvis piis tam sæcularibus, quam cujusvis Ordinis tam Mendicantium, seu Instituti, vel Societatis Regularibus, locis quantumvis exemptis, etiam de necessitate exprimentis, seu illorum personis, cujusvis qualitatis, seu conditionis existant.

§ 2. In futurum vero Sanctitas sua hac generali et perpetuo valitura Constitutione statuit et decrevit, ut Judices Conservatores hujusmodi sive principales, sive subrogati, eligi, nominari, aut deputari non possint, nisi non solum habeant qualitates requisitas, et descriptas in Constitutione simil. Recordat. Bonifacii papæ VIII. etiam Prædecessoris sui, quæ incipit: *Statutum*; ita ut vel dignitate Ecclesiastica præditi, vel personatum obtinentes, vel Ecclesiarum Cathedralium Canonici existant; sed etiam in Conciliis Provincialibus, aut Diocesanis juxta decretum Concilii prædicti judices electi, seu designati sunt.

§ 3. Quæcumque deinceps literæ conservatoriarum per Sedem Apostolicam conce-

dendæ suprascriptis tantum dirigantur, et si quæ literæ aliter expedientur, illæ, ac deputationes hujusmodi omniaque exinde sequenda nullius sint roboris, vel momenti.

§ 4. Et nihilominus, qui secus, quam juxta formam superius præscriptam, Conservatores hujusmodi cum effectu eligere, nominare, seu deputare, aut electis, nominatis, seu deputatis uti ausi fuerint, Regulares quidem voce activa et passiva sint ipso jure privati, adeo ut habilitationem a nemine præterquam a Romano Pontifice consequi valeant, reliqui vero aliis pœnis arbitrio Sanctitatis suæ coerceantur, et prædictorum omnium Conventus, Monasteria, ac loca hujusmodi eorumque personæ, ac bona careant Conservatore ad annum, ita ut illorum causæ interea coram locorum Ordinariis duntaxat cognosci ac definiri debeant.

§ 5. Cæterum ut latius pateat Conservatorum hujusmodi deligendorum facultas, Sanctitas sua admonitis voluit omnes locorum Ordinarios, ut in Synodis Provincialibus, aut Diœcesanis quamplures personas, ex habentibus qualitates in prædicta Constitutione hujusmodi Bonifacii Prædecessoris contentas, et alioquin ad id aptas designari procurent, et si aliquem interim ex designatis mori contigerit, substituat Ordinarius loci cum Consilio Capituli alium in ejus locum, usque ad futuram provincialem, aut Diœcesanam Synodum.

§ 6. Insuper Sanctitas sua inhærendo hac in parte Decreto felicis record. Gregor. Papæ XIII. etiam Prædecessoris sui statuit et ordinavit, ut Regulares, ac personæ hujusmodi in Italia infra duos, extra Italiam vero intra sex menses a die publicationis in Urbe præsentis Constitutionis inchoandos, debeant sibi eligere, seu assumere Conservatores juxta formam superius propositam.

§ 7. Ejusque electionis seu assumptionis documentum infra tempus hujusmodi penes Acta Curie Ordinariis exhibere et demittere teneantur; alioquin eo termino elapso, quamdiu Conservatores secundum formam præsentis Constitutionis non elegerint, coram eisdem Ordinariis conveniantur.

§ 8. Quodque Conservatores hujusmodi semel legitime deputati, nisi ex legitima causa a Sede Apostolica, aut locorum Ordinariis, prout iisdem Regularibus, et aliis supradictis liberit approbata durante quinquennio a die deputationis, amoveri aut deputari nullatenus possint, aut valeant.

§ 9. Ad hæc statuit Sanctitas sua, ut coram ipsis Conservatoribus Regulares, ac personæ suprascriptæ conveniri quidem, aut trahi debeant, sed alios convenire, aut trahere non possint, ita ut memorati Conservatores in causis, in quibus Regulares et alii Actores fuerint, nullam prorsus jurisdictionem habeant, sed in his tantum, in quibus rei extiterint, neque extra Civitates, seu Diœceses, in quibus fuerint deputati, contra quoscumque procedere præsumant.

§ 10. Si qua vero inter Judices Conservatores hujusmodi, et locorum Ordinarios Controversia super competentia jurisdictionis orta fuerit, nequaquam in Causa procedatur, donec per Arbitros in forma juris electos super jurisdictionis competentia fuerit judicatum.

§ 11. Quod si Conservatores sive in hac parte sive alias quomodolibet suos limites excesserint, per annum ab Officio Conservatoris hujusmodi suspensi sint, et pars, quæ hoc fieri procuraverit, sententiam excommunicationis incurrat, juxta formam alterius Constit. ejusdem Bonifacii Prædecessoris, quæ incipit: *Hæc Constit.* quam Sanctitas sua in omnibus, quæ præsentis Const. non adversantur, innovavit, ac innovat.

§ 12. Per hoc tamen non intendit Sanctitas sua prohibere, quo minus Regulares, et alii supradicti in casibus a jure permissis petant judicem non suspectum a Principibus, seu Magistratibus sæcularibus; Dum tamen hæc tria copulative concurrant, videlicet, ut Regulares, et alii prædicti sint Actores, non autem rei; utque agant contra Laicum, non autem contra Ecclesiasticum, vel alias a Jurisdictione sæculari exemptum, atque ut causa, in qua Judex deputatur, fuerit profana, non autem Ecclesiastica, et in ea, juxta Sacrorum Canonum dispositionem, Laicus ut præferatur eligendus, Judex competens existat.

§ 13. Observantiam præmissorum præcipit cum decreto irritanti.

§ 14. Contrariis quibuscumque derogat. (Et sequitur publicatio.)

Datum Romæ 29 Sept. 1621. Pontificatus anno primo; Bullar. tom. 4, pag. 80.

Sequitur dubium super d. Constitutione exortum cum sua declaratione.

In Constitutione de Conservatoribus edita a San. Mem. Greg. XV. ex sententia Sac. Congregationis Concil. inter cætera statutum est, ut coram Conservatoribus Regulares conveniri quidem, aut trahi debeant, sed alios convenire, aut trahere non possint, ita ut memorati Conservatores in casibus, in quibus Regulares et alii Actores fuerint, nullam prorsus Jurisdictionem habeant, sed in his tantum, in quibus Rei extiterint.

« Dubitatur nunc; An per hæc verba sublata sit facultas, quam habent Conservatores defendendi Regulares et alios a manifestis injuriis et violentiis, quæ illis de facto inferuntur, dum a suis possessionibus deiciuntur, et propriis bonis uti ac frui impediuntur.

« Sacra Congregatio Card. Concilii Trident. Interpretum censuit ejusmodi verbis minime sublata fuisse facultatem, quam habent Conservatores defendendi Regulares a manifestis injuriis ac violentiis; dummodo observent formam præscriptam in Constitutionibus Innocentii IV. et Bonifacii VIII. relatis in cap. 1. et final. de offic. deleg. in sexto. »

Card. de Torres.

Prosper Fağanus Sac. Congr. Secret.

(6. Eligendi in Conservatores debent esse dignitate Ecclesiastica constituti, textu expresso in cap. *Hæc Constitutione* 15. de offic. Delegati, et in dicta Constitutione Gregorii XV. § 2. (7. Unde Conservatores esse non possunt nisi Episcopi, aut eorum Superiores (id est Archiepiscopi, Patriarchæ, et Cardinales,) vel Abbates, seu dignitates, vel Personatus in Cathedralibus, vel Collegiatis Ecclesiis obtinentes; ibid. (8. Aut Canonici Ecclesiarum Cathedralium existentes, ex cit. Const. Greg. XV. 2. ibi: « Vel Ecclesiarum Cathedralium Canonici existant, » et cap. *Statutum* 11. de rescriptis. (9. Canonici autem Ecclesiæ Collegiatae, quamvis sint eximii Doctores, nequeunt esse Conservatores; quia Conservatores ex citata Gregoriana debent esse Judices Synodales, et Canonici Ecclesiæ Collegiatae non possunt eligi in Judices Synodales, ut declaravit Sacra Congregatio Concil. in Alexandrina, ut refert Barbosa decis. Apostolicar. collectan. 90. n. 7. et d. Gregoriana expresse requirit quod sint Canonici Ecclesiarum Cathedralium. (10. Vicarius Generalis Episcopi potest eligi in Conservatorem Regularium; Sacra Congreg. Conc. 23. Octobr. 1623. (11. Sic etiam posse eligi Vicarium Capitularem Sede vacante tenent Ricc. variar. resol. tom. 2. resol. 349. num. 3. Monacell. tom. 1. in appendice ad formularium adnotat. ad Constit. Gregorii XV. incipient. *Sanctissimus* num. 17. et alii. (12. Regulares quavis dignitate Regulari fulgentes non posse eligi in Conservatores, respondit Sac. Congr. Episcoporum et Regul. Archiepiscopo Turritano 7. Septembr. 1617, ut refert Barbosa de Offic. et potest. Episcopi p. 3. alleg. 106. num. 15. (13. At Sacra Congreg. Concil. sub die 2. Martii 1619 censuit, « Abbatem Ordinis Olivetani posse eligi in Conservatorem si Episcopus in Synodo eum deputavit Judicem Synodalem, » ut refert Barbosa cit. et tenent Nidus de Conservatoribus cap. 3. particula 3. num. 18. cum Moneta, et Passerin. ibi cit. Barbosa Apostolicar. decis. collectan. 216. n. 15. Monacell. loc. cit. num. 17. et alii.

(14. Conservatores debent esse Judices Synodales; Gregorius XV. in d. Constitut. incip. *Sanctissimus* § 2, ibi: « Sed etiam in Conciliis Provincialibus, aut Diœcesanis, juxta decretum Concilii prædicti, Judices electi seu designati sint. » (15. Dato autem quod non adsint Judices Synodales, possunt a Regularibus eligi non Judices, donec sit celebrata Synodus, et in ea Judices sint designati, ut pluries declaravit Sac. Congreg. Concil. et signanter 7 Jun. 1623, 17 Aug. 1626, 23 Aug. 1627, et Sac. Congregat. Episcop. et Regul. die 4 Dec. 1671, decrevit dandam esse infrascriptam declarationem alias editam, et signanter ad instantiam Patrum Societatis Jesu, quam ad literam refert Fagnan. lib. 2. decr. in cap. *Si Clericus* 5, de Foro compet. num. 59, tenoris, ut sequitur.

(16. « Gregorius Papa XV, fel. rec. in sua Const. de Conservatoribus statuit et decrevit, ut in futurum a Regularibus eligi non

possint in Conservatores nisi Judices in Conciliis Provincialibus, seu Diœcesanis designati, sub pœnis et censuris in dicta Constitutione contentis.

possint in Conservatores nisi Judices in Conciliis Provincialibus, seu Diœcesanis designati, sub pœnis et censuris in dicta Constitutione contentis.

« Quibus stantibus Patres Soc. Jesu, qui in Indiis et aliis locis degunt, in quibus Archiepiscopi, seu Episcopi Synodum congregare non curant, vel si congregant, Judices Synodales non eligunt, supplicant humiliter DD. VV. Illustrissimis, ut dignentur declarare, si in tali casu possint uti privilegiis a Sancta sede Apostolica ante dictam Constitutionem concessis.

« Die 17 Aug. 1626. Sac. Cong. Illustris. Cardin. Conc. Trid. Interpretum censuit Episcopos quamprimum Diœcesanam Synodum omnino celebrare teneri, et interim in Civitatibus et Diœcesibus, in quibus nulli Judices extant in Concil. Provinciali, aut Diœcesano designati, licere Regularibus, servata in reliquis forma Const. fel. rec. Greg. XV, hac de re editæ, Conservatores nominare habentes qualitates a jure requisitas. Quorum tamen Conservatorum facultas eo ipso expiret, cum primum hujusmodi Synodus celebrata, in eaque Judices designati extiterint. »

(17. Conservatores debent eligi a Regularibus in unaquaque Diœcesi, in qua Monasteria, Conventus, seu domos Regulares habent, sic enim censuit Sac. Congr. Concil. in Rossanensi 15 April. 1628, et in Langianensi 29 Januar. 1633, præcisus verbis, nempe « Regulares debent eligere Conservatores in singulis Diœcesibus, in quibus Monasteria, Conventus, seu Domus Regulares habent. » (18. Regulares licet ex d. Constit. Gregor. XV, sub § 6, fuerint adstricti ad sibi eligendos Conservatores infra duos menses in Italia, et extra Italiam infra sex menses a die publicationis in Urbe ipsius Constitutionis. (19. Tamen ii Regulares, qui tempore sibi in dicta Constitutione Gregorii XV præfixo Conservatores eligere non curaverunt, dicto tempore elapso, quandocumque his libuerit, Conservatores juxta formam dictæ Constit. eligere possunt, ut declaravit Sac. Congreg. Conc. 18 Septembris 1627, prout ex Sello refert, et tenet Barbosa supra Concil. sess. 14, cap. 5, n. 9. (20. Electionis Conservatoris documentum est relinquendum penes Acta Curie Episcopalis, alias Regulares sunt conveniendi coram Ordinario loci. Sic dicta Gregoriana § 7. Et ad hoc tenentur ante exercitium suæ Jurisdictionis sub pœna nullitatis actuum, ut declaravit Sacra particularis Congregatio deputata ab Innocent. X, 16 April. 1648, in responsione ad tertium decimum propositum dubium conceptum, ut sequitur: « Tertio decimo, an Conservatores nominati, et electi a Regularibus præscriptis ante exercitium suæ Jurisdictionis teneantur electionis authenticum documentum exhibere coram Ordinario sub pœna nullitatis actuum? Respondit.... Ubique teneri, » et confirmavit ipse Innocent. X, 14 Maii 1648. Constitut. incip. *Cum sicut accepimus.* (21. Conserva-